



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Tertia Sirmiana Fidei Confessio anno 359. Sirmii coram Constantio edita,
Arimini a Valente recitata, Eusebio & Hypatio consulibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

mus, quod de iis nihil sit scriptum in sacris literis, & quod illa hominum intellectum & mentem transcendant, & quod nemo possit generationem Filii enarrare, quemadmodum scriptum est: *Generationem eius quis enarrabit?* Solum enim Patrem scire quomodo Filium suum genuerit, certum est. Nulli vero ambiguum, Patrem maiorem esse: neque est quod quisquam dubitet, Patrem honore, dignitate, deitate, atque adeo ipso nomine paterno maiorem esse, attestante præsertim ipso Filio: *Qui misit me Pater, maior me est*: & hoc ipsum catholicum est, & nemo ignorat duas esse personas Patris & Filii, ac proinde Patrem maiorem; Filium vero Patri cum omnibus, quæ illi Pater subiecit, subiectum esse, Patremque initium non habere, & inuisibilem, & immortalem, & liberum a passionibus esse: Filium vero ex Patre genitum esse, Deum ex Deo, lumen de lumine, eiusque generationem, quemadmodum superius dictum est, neminem scire nisi solum Patrem; ipsumque Filium Dominum nostrum & Deum, carnem siue corpus, hoc est, hominem e Maria virgine assumpsisse. Quemadmodum angelus prænantiauerat, & omnes scripturæ docent, & in primis ipse gentium Apostolus, hominem assumpsit Christus ex Maria Virgine, per quem passus est. Summa autem totius fidei, & firmamentum est, ut Trinitas semper retineatur, quemadmodum legimus in euangelio: *Abite & baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Numerus autem Trinitatis integer & perfectus est. Paracletus porro, nimirum sanctus, per Filium missus secundum euangelium venit, ut apostolos & omnes credentes erudiret & sanctificaret.

Act. 8.

Ioan. 14.

Matth. 18.

TERTIA SIRMIANA FIDEI CONFESSIO anno 359. Sirmii coram Constantio edita,

Arimini a Valente recitata, Eusebio & Hypatio consulibus.

Exstat apud
Athan. lib.
de Synod.
Socra. l. 1. c.
29. Baton.
an. 359. n. 9.

CREDIMVS in vnum solum & verum Deum Patrem omnipotentem, conditorem opificemque omnium: & in vnigenitum Filium Dei, ante omnia sæcula & initia, & ante omne tempus, quod in intellectum cadere potest, existentem, & ante omnem comprehensibilem substantiam

ANNO
CHRISTI
357.

ANNO
CHRISTI
357.

ANNO
CHRISTI
357.

tiam, natum impassibiliter ex Deo, solum ex solo Patre, Deum de Deo, similem Patri suo, qui ipsum genuit: *cuius* (secundum scripturas) *generationem nemo nouit, nisi solus qui eum genuit Pater*. Hunc scimus vnigenitum Dei Filium nutu paterno aduenisse de caelis ad demolienda peccata, genitum ex Maria Virgine, versatumque cum discipulis fuisse, & vbi omne officium dispensationis adimpleuisset, secundum Patris voluntatem, crucifixum & mortuum esse, & ad inferos descendisse, atque ibi, quod sui officii erat, peregisse: quem ianitores inferorum conspicati exhorruerunt: Eumque tertio die ab inferis resurrexisse, & versatum cum discipulis fuisse: eumque vbi negotia sua absoluerat, impletis quinquaginta diebus, in caelos assumptum esse, & sedere ad dexteram Patris; & vltimis diebus resurrectionis venturum in gloria paterna, vt tribuat vnicuique secundum opera sua. Et in sanctum Spiritum, quem vnigenitus promisit se missurum humano generi paraclerum, quemadmodum scriptum est: *Vado ad Patrem meum, eumque rogabo, & alium* Ioan. 14. *paraclerum mittet vobis Spiritum veritatis: ille de meo accipiet, & docebit vos, omniumque admonebit*. Vocabulum porro substantiae, quia simplicius a patribus positum est, & a populis ignoratur, & scandalum affert, eo quod in scripturis non contineatur, placuit, vt de medio tolleretur, & nullam posthac de Dei substantia mentionem esse faciendam, eo quod sacrae scripturae nunquam meminere substantiae Patris & Filii: Filium autem Patri per omnia similem dicimus, quemadmodum sacrae literae dicunt & docent.

NOTA.

Hac formula fidei composita est Sirmii in praesentia Constantii anno 359. Eusebio & Hypatio consulibus. Athan. lib. de Synod. Socrat. lib. 2. cap. 29. Quia Constantius Ariminensi Concilio non interfuit, mendosum est, (quod habet inscriptio apud vtrumque) eam Arimini in praesentia imperatoris editam fuisse. Composita est ea transactionis lege, vt Semiariani relinquerent, quod Ancyrae addiderant, nomen *substantiae*: Ariani vero admitterent, vt Filius diceretur Patri per omnia similis; licet Valens id non nisi iussu a Constantio profiteri voluerit. Quamquam haec fidei formula, (sicut & illae, quae Antiochia in encaniis, & in Sardicensi & Sirmiensi Concilio primo loco edita est) nullam manifestam haeresim contineret; cum

Concil. Tom. 3.

A a

Tertia Sirmianae fidei confessio quando, cur & vbi edita.

Inscriptio apud Ath. & Socratem mendosa est.